

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0018

0016

0022

0012

0027

0007

0067


0117

0517

1017

Ende

Anfang



7

deterius est, militiam acquirunt in sanguine humano christiano, in sanguine fraterno. O maledicta militia ista, et Deo displicita! David, rex sanctus, non fuit permissus aedificare templum Domini, eo, quod vir bellator fuit, et multum sanguinem humanum fudit, ut habetur 1. Paral. 22. et 28. Et tamen notum est, quod non effudit nisi sanguinem incircumcisorum et infidelium, quorum sanguinem ex jussu Domini Dei effudit. Si ergo sanguis ille idololatrarum virum sanctum illum immundum reddidit, quod non potuit aedificare templum, quid tunc faciet sanguis nobilissimus Christianorum fidelium, quantam immunditiam inducit in eum, qui ejus effusor est? Nonne coinquinatum militem et sordidum reddit? Non sic nostra innocens militia hierosolymitana christiano sanguine sordida, sed potius mundat militem, ut christianus sanguis defendatur. Accipiant enim militiam in loco, ubi innocentissimus sanguis Christi effusus est pro omnibus hominibus. Ideo abhorrent omnem humanum sanguinem effundere, nisi cogantur ad defendendum Christi sanguinem noxium sanguinem fundere.

VII. Militia haec est rationabilior. Ratio enim dictat, quod aliqui sint in populo christiano, qui fidem gladio defendant, et injustitiam cœerceant armis, et inobedientes vi compellent intrare. Hoc est officium militum sancti sepulchri, ut patet superius. De his autem nulla fit mentio in susceptione militiae in alio loco.

VIII. Militia haec est amicabilior. In nullius namque praejudicium fiunt milites in Jerusalem. Alii autem sunt milites contra partem adversam, et in praejudicium alterius multis modis.

IX. Militia nostra est laboriosior. Quis enim explicabit labores militis sancti sepulchri, quos habet non pro militia acquirenda, sed pro Dei honore et animae suae salute?

X. Haec militia est periculosior. Nam labor sine periculo non reputatur magnus, imo labor parvus cum magno periculo magnus judicatur. Sed utrumque est in nostra militia, et labor magnus, et ingens periculum, ut patet per totum evagatorium.